



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De reliquis Dionysii epistolis. Cap. XXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

esset penitus culpæ vinculis solutus, & ita labe, qua erat idolis immolâdo aspersus, omnino deleta, posset pro multis bonis, quæ gessisset in vita, in numerum confessorum referri? Hæc Dionysius.

Epistola Dionysii ad Nouatum. CAP. XXXVII.

Videamus iam quænam idem ipse Dionysius ad Nouatum ecclesiam Ro. id temporis perturbantem perscripserit. Ac quoniam idem Nouatus fratres quosdam illius defectionis & schismatis quasi ansam præbuisse, ab illisq; se ad illud ipsum fuisse compulsam, simulabat, attende quomodo ad eum scribat. Dionysius, Nouato fratri. S. Si inuitus, vt dicis, huc inductus es, illud plane ostendes, si sponte ab eo recedas. Oportuerat enim omnia incommoda potius subiisse, quam ecclesie Dei discidisse concordiam. Atque illud martyrium, quod quis perpetitur, ne dirimatur ecclesie consensus, non minus certe, sed multo plus, meo quidem iudicio, habet commendationis, quàm illud, quod suscipitur, ne idolis omnino immoletur. Nam in hoc pro vna quisq; anima suffert martyrium, in illo autem pro tota ecclesia. Iam ergo si vel suadendo, vel quasi vi compellendo, fratres ad ecclesie concordiam redire efficias, culpæ magnitudinem correctionis modus facile superabit. Atq; vt illa tibi nullo vitio vertetur, ita hic reuera ponetur in laude. Quòd si illi adeo contumaces & animo obstinatos fuerint, vt nihil omnino te posse apud illos existimes, tu tamen tuam ipsius animam seruato. Te igitur, si paci adhærescas ecclesie, in domino exopto valere. Ista ad Nouatum scripsit Dionysius.

De reliquis Dionysii epistolis.

CAP. XXXVIII.

Scribit præterea idem Dionysius epistolam de pœnitentia ad eos, qui erant in Aegypto: in qua simulac vitiorum gradus descripserit, ea etiam quæ sibi videbantur statuenda de iis, qui, ingruente persecutionis tempestate, lapsi fuissent, tradit. Extat item liber illius separatim ad Canonem, Hermopolitanæ ecclesie episcopum, de pœnitentia scriptus. Alius etiam hortatorius ad gregem

EVSEBII HISTORIAE

gem ecclesiae Alexandrinae, cui ipse praesuit. Praeter istos, est alius de martyrio scriptus ad Origenem. Epistolas porro ad fratres Laodiceae, quibus Thelymidres praerant episcopus, & ad fratres Armeniae, quibus Meruzanes episcopus praeficiebatur, de poenitentia itidem conscripsit. His omnibus accedit epistola, quam ad Cornelium episcopum Romanum scripsit, eumque propter illius epistolam contra Nouatum, quae ad eius manus peruenerat, admodum commendat. In qua aperte ostendit, se tum ab Heleno Ciciae Carsensis episcopo aduocatum, tum a reliquis, qui cum eo erant, nempe Firmiliano Cappadociae episcopo, & Theoctisto episcopo Caesareae Palaestinae, ut ad concilium Antiochiae coactum aduenteret: ubi quidam Nouati schisma omni animi contentione corroborare nitebantur. Scribit item epistolam, se certiorum esse factum, Fabinum a vita migrasse, & Demetrianum episcopatus Antiocheni eius successorem designatum. Scribit etiam de episcopo Hierosolomitano his verbis: Beatus Alexander in carcerem conclusus, mortem beatam est consecutus. Est alia item Dionysii epistola fratribus, qui erant Romae, de ministeriis ecclesiae, missa per Hippolitum. Alia eisdem de pace scripta. Etiam alia de poenitentia. Confessoribus praeterea, qui illic Nouati opinione erant a veritate abducti, alia. Eisdem ad ecclesiam iam denuo reuersis reductisque alias duas misit. Alias denique epistolas ad plerosque alios perscriptas post se reliquit: ex quibus qui etiam hoc tempore cupiditate incenduntur eius opera studiose euoluendi, multiplicem plane ac varium fructum percipient.

EVSE-